

DIALOGUS XX.

De Apolline, ejusque Numis nonnullis.

TULLIUS.

AEgyptii primi, docente D. *Pluche*, Cœlum, aut solem, tanquam in productione rerum Virtutem activam, proposuerunt imagine Viri, ceu Patris, cum nomine *Osiridis*, i. e. Domini Terræ. Hanc porro propter fecunditatem, tanquam Virtutem passivam, exprimebant icone Mulieris, quasi Matris, cum nomine *Isidis*, h. e. Dominae. Ubertatem ipsam, tanquam Prolem, pingebant in figura Pueri, aut Juvenis, dicti *Hori*, ab *Hores*, i. e. Agricultura. Hæ imagines, ut jam audisti, literis inventis, non jam ad instruendum populum, sed solam festorum pompam asservatæ, ac demum in idola transeuntes, varias præterea in Regiones depositatæ, undique formam aliam elegantiore, Nomenque diversum acceperunt. Hic tibi *Apollo*, ex imagine *Hori* Aegyptii natus, peculiariter tibi est retegendus.

I.
Histor.
Cœl. cap.
II, s. 18.
& 28.

Ubertati Terræ nihil amplius nocuit præ Diluvio: cujus quadam imitatio Nili annua innudatio fuit, maxime, quamdiu primis Aegyptiis, tempus, & natura fluxus ac refluxus ejusdem, qualique indole limus relictus existeret, probe perspectum non fuerat, quod longos annos ad usum certum tutumque poposcit. Diluvio, in pœnam peccati immutata est quodammodo universa quasi Natura. Sol ab Aequatore declinans, in quo antea semper persisterat, effecit inæquales dies, longas tristesque noctes, intemperantem aërem, asperam hyemem, tempestates varias, turbines ventorum, ætus maris, terræ motus: quæ omnia Ubertati frugum, humanaque vitæ tranquillitati, vehementer nocuere. Idem in Aegypto, ex parte saltem effecit Nilus, agros, prata, domus, cum frugibus,

II.

armentis, hominibus, improvisa inundatione sepeliens. Summi proinde momenti erat, populum de his incommodis, fortunam, & vitam pessumdaturis, mature præmonere, fugamque ad montes indicere.

III. Monitor erat *Horus* puer, in lapidibus, & columnis ante omnium oculos rudibus lineis depictus. Proponebatur in Festis, ac Neomeniis, quibus per singulos annos Deo Sacra publica fiebant pro largitione frugum, unde vita sustentaretur. Initium fiebat ab ululatu, & planctu, quo dessebant lamentabilem Terræ per diluvium submersionem: succedebant laudes pro subsecuta per Dei gratiam ejusdem restitutione. Ad hæc rite facienda ut instrueretur populus, representabatur *Horus*, ceu Victor communis calamitatis, in forma Juvenis, & Sagittarii, qui telis immanem Draconem conficeret, *Ob*, vel *Pythonem* dictum, atque ad marinæ cujusdam belluæ, vim aquarum immensam e faucibus profundentis, formam expressum.

IV. *Horus* iste Victor parens erat *Apollinis* Delphici: & quoniam sæpe jungebatur cum *Ostri*, & *Iside*, tanquam parentibus, etiam *Apollo*, brevi, ac facili transitu, confundebatur cum Sole ac Luna. Ecce enim: Fingebatur Deucalionis diluvium circa montem Parnassum: comminiscabantur, Draconem terribilem, Python dictum, in hoc monte demoratum, ibidem custodisse Oraculum. Non puduit mentiri adulterium *Jovis* cum *Latona*, unde gemelli *Apollo*, ac *Diona*, Sol videlicet, ac Luna. Horum influxu cælesti cum terræ ubertas maxime proveniat, profecuti fabulam addiderunt, Draconem prædictum *Latona* parituræ vehementer infidiatum, *Jove* eandem tutante, nihil profecisse, donec ab *Apolline*, adhuc puero, sagitta confectus fuerit. Deprehendisse hic perlucida *Hori* Aegyptiaci vestigia? Unde *Apollo* filius *Jovis*, & *Latona*? quia parentes *Hori* simulabantur *Ostris*, ac *Isis*, nempe Cælum, aut Sol, ac Terra. Unde *Apollo* Sagittarius, Victorque *Pythonis*? Quoniam *Horus* Terram a diluvio restitutam significabat. Unde *Apollo* Vaticus? Nempe quod *Horus* Aegyptios de Festis, & cum primis de fuga Nili exundaturi admonuit.

V. Vis *Apollinem* insuper Musarum Præsidem? reperies & hoc inter Signa Aegyptia. Fuit in his *Isis*, omni mense cum Symbolo alio, quo tunc agenda indicaret, proposita. Jam enim ca-
la-

lamum præfererat pastoritium, educendorum in pascua pecorum indicem: jam larvam, festorum, ludorumque signum: nunc tubam, ad indicendam ferarum venationem: rursus pectinem cum immixtis asserculis, ad explorandam Nili altitudinem, spemque fertilitatis deprehendendam: alias decempedam, ad novam post Nili defluxum agrorum designationem innuendam: subinde quasi pixidem nauticam, qua populus admoneretur instantis mercatus cum Phoeniciis, navi appulsuris. Fuerunt & alia plura, quæ rudibus picturarum lineis, necdum cognitis literis, describebantur.

Postquam vero hæc *Isides*, tot symbolis discreta, licet re ipsa idem forent, cessabant esse disciplina, & scholæ Politicæ, atque Oeconomicae, nihilominus tamen a posterioribus Aegyptiis, veluti Monumenta Patrum suorum, conservabantur, inque publicis festis, una cum *Horo Victore*, pompæ augendæ gratia, expositæ sunt: abinde ad Græcos delatæ, *Musarum*, *Apollini* conjunctarum, chorum facile subierunt. Hic namque *Pythouem*, Parnassi custodem, sagitta conficiens Montis hujus Præses effectus est. Præterea, tanquam confectus pecorum Admeti custos, *Marsya*, secum de plectri elegantia contententis, detracta pelle vindex acerbus, Artis pariter, ac Musicæ prærogativam obtinuit. Hinc eidem *Isides*, olim *Horo* Aegypto adjunctæ, comites in Parnasso dabantur: quarum Signa, in Artium Liberalium Symbola convertere, nullo negotio licuit. Dicebantur *Musa*, nomine a *Mose*, aut *Moyse* ducto, quod *ex aquis attractum* designat: siquidem *Pytho* draco terribilis, atque tropheum Victoriæ Apollinæ, præana Musæ in Parnasso cantabant, ex limo, post Deucalionis diluvium relicto, natus perhibebatur.

VI.

PUBL. Multa sæpe assequitur unius Ingenii perspicacis, & multiplici eruditione subacti, solida meditatio, quæ mille aliorum prolixam quidem, sed præcipitem lectionem effugiunt. Non facile sit, quod equidem arbitror, qui inficias eat, Deos primos ab Aegyptiis venisse. Quo autem pacto idola ipsa in Aegypto nata fuerint, extra *D. Pluche*, alium hætenus quemquam studiosius inquisivisse, & retexisse feliciter, vix demum credam. Ex quo dum tu me jam undique doces, illum ego eximie suspicio, ubique grandia nomina fateor. Primum porro *Apollinis* Numum

VII.

TAB. IV
N. XIII.

pinxisti mihi Tabula tua IVta. loco decimo tertio, capite laureato, forma vero, & veste quasi fœminea, cum plectro, atque patera adstantem, addito elogio: APOLLINI AUGUSTO. Deum, non Deam proditurum opinabar.

VIII.
Part. I.
Tab. LII.
n. 10.

TULL. Numum hunc æris magni ex *Begero* selegit *Montfalconius*, nihil in eum commentatus, nisi, quod vestitum hic notet *Apollinem*, frequentius nudum: fœmineam formam omittit, & ne quidem, quo Imperatore sit cufus, commemorat. *Argelatus* vero hujusmodi Numos aliquoties recenset in *Antonino Pio*, & *Septimio Severo*, stola tamen fœminea æque dissimulta. Sed præterquam, quod Græci æque, ac Romani, de Diistam incerti essent, ut plerumque suis in invocationibus dicerent, immo scriberent pariter in Lapidibus: *Sive Deus es, sive Dea*: cum primis de sexu *Apollinis* adhærebant. *Macrobio* siquidem teste, ferebat nomen

Gell.
Noct. At-
tic. L. II.
c. 28.

Saturnal.
L. I. c. 17.

Didymei, „ Quod geminam sui Numinis speciem præferre putaretur, illuminando, formandoque Lunam: nam *Διδυμοι* Gemini dicuntur. Etenim ex uno fonte lucis gemino sidere spatia diei & noctis illustrantur. Unde & Romani Solem, sub nomine, & specie *Jani* (scilicet gemina facie juvenili, mascula & fœminea) *Didymei* *Apollinis* appellatione venerabantur. „ Juvenis forma semper proponebatur, quoniam Sol erat, qui occidendo, & renascendo semper est juvenior, & nunquam in sua virtute deficit, ut Luna, quæ crescit, & minuitur. Ita *Fulgentius Grammaticus* ad veteris Poëtæ versum:

Mytho-
log. L. I.
c. 17.

Sol semper Juvenis, rapidum qui dividis axem.

Dum vestitus est, ac cytharam præfert, Musarum & Artium Præses est: quo nomine *Ovidius* eundem salutavit.

Amor. I.
eleg. VIII.

Ipse Deus Vatum, palla spectabilis aurea,
Tractat inauratæ consona fila lyræ.

Musicum finxerunt, quia sol sic temperat omnia, ut mutua sit universæ naturæ harmonia, nihilque in ea dissonum reperitur. Sic argutatus est *Alexander* in *Tabula Heliaca*, i. e. Solari, explicata,

cata. *Augustus* hic prædicatur *Apollo* verosimillime, quia is intelligitur, cui *Augustus* Templum in Palatinis *Ædibus* construxit: de quo postea.

PUBL. Pari prope forma, minus tamen fœminea, stat hic Deus in proximo Numo decimo quarto, æque cum plectro, & patera, sed lemmate: **APOLLONI SANCTO**: quod præter usum Romanorum est scriptum. *TULL.* *Argelatus* hujusmodi Numos assignat *Pescennio Nigro*, *Diocletiano*, ac *Juliano* Apostata: sed ubique cum capite *Augusti*, & epigraphæ: *Apollini Sancto*, adhuc tamen additis apud *Julianum* literis: H. S. M. A. & *Apollinis* capite radiis circumdato. Præsentem Numum pinxerunt *Cl. Patinus* Imp. p. 353. qui putabat, eum esse *Diocletiani*: item *Cl. Harduinus* Tab. I. n. 2. eundemque *Juliano* attribuit. Sedet in Adversa fœmina turrata, nempe *Genius Urbis Antiochiæ*, ad cuius pedes vir nudus medio corpore superiori, expansis brachiis, ex undis assurgit, fluvium, qui Urbem alluit, repræsentans. Legenda est: **GENIO ANTIOCHENI**.

Et hanc pariter epigraphen, & eam, quæ est in Adversa, in leges Latii puri delinquere, Vir *Cl.* causatur, & ideo voces non esse voces integras, merisque literis initialibus utrinque conflatas esse tuetur. Dissectione proinde illarum, hanc sententiam attullit. **GENIO A.** (*primæ*) *N. arbonensis T. utatori I. mperii O. dio C. bristianorum E. tiam N. obis I. rato APOL. lini L. ibamentum O. b. tulit N. umini J. uliani SANCTO (i. e. Conservatori) *S. ocietas M. ercatorum N. arbonensium*. Sunt enim infra literæ: *S. M. N.* Permittenda Viro magno est opinio sua. Caterum hæc ejusdem sententia legentibus omnibus obscurior videbitur, quam ut naturaliter fluat. Deinde constat, tum iratum Apollinem creditum esse, quando educta, tensaque sagitta minabatur. Unde *Horatius* eundem obsecrabat, ut condito mitis placidusque telo, supplices pueros audiret. Hoc porro in Numo ne quidem pharetram habet, togataque mitissima forma plectri dulcedine recreat. Quemadmodum igitur iræ Apollinæ, ita & *Juliani*, immo & *Narbonis* nullum hic prorsus indicium est. Proinde non video, quomodo sententia *Harduini* cum Numi hujus imaginibus conveniat: quod ipse tamen perpetuo postulat. Cur non intelligamus abique mysterio, quod *Apollini Sancto*, vel tanquam *Genio* suo, vel ipsi*

IX.

Tab. IV.

N. XIV.

In Plin.
suo ad
Tomi I.
col 71.

X.

Carmi.
Secul. v.
33.

ipſi & Genio ſuo, hunc Numum *Antiocheni* ſignaverint. *Apolloni* ſculptor per incuriam ſcribere potuit, vel ad Græcorum imitationem. Nam & ipſe Cl. *Harduinus* Numum Græcum *Apollonia* Urbis in Epiro reperit, ubi circa Dei hujus imaginem legit: ΑΠΟΛΛΩΝΟΣ ΚΩΚ.

XI. *PUBL.* Vidiffe me recolo in Cimelio quopiam privato argenteum Numum *Auguſti*, qui pariter *Apollinem* in Averſa refert cultu quaſi ſœmineo, cum pleçtro, ſed longiori, quod oblonga tabula videatur. Pone ſcribitur: IMP. erator X. mum. Infra: ACT. ius, ni fallar. *TULL.* Legis, ut alii, non ut Cl. *Harduinus*. Rurſum enim obſtrepit iis, qui hunc Numum in In Plin. Tom. 1. col. 189. *Actiæ* *Victoriæ*, ope *Apollinis* relatæ, Signum ab *Auguſto* editum voluere. Vetat hoc, ait, quod ante eſt, IMP. X. Nec enim, quando *Antonium* apud *Actium* debellavit, jam decimum vincens Imperatoris elogium toties promeruit. Vult igitur legi A. *pollini* C. *æſaris* T. *utatori*. Verumtamen *Argelatus* hunc Numum, tam aureum, quam argenteum, non ſolum cum IMP. X. verum etiam XII. deſcribit, certo propemodum indicio, *Auguſtum* hoc Numo Beneficium *Apollinis*, quo ſua nitebatur fortuna, in animi grati teſſeram iterum iterumque reſtituere, ac prædicare voluiſſe.

XII. *PUBL.* *Actiæ* de pugna decretoria navali, & *Apollinis* in ea meritis, cum unica ejusdem ſagitta, mentiente *Propertio*, decem rates hoſtiles confecerit, jam dixiſti mihi in Exercit. Proœm. Dial. X. n. 1. ſqq. ad Numum *Autiſtii Veteris* cum Dei hujus imagine: item de Ara ibidem in ejus honorem excitata. *TULL.* Præmia deinde ſplendidiora tulit *Apollo*: nimirum *Aedem*, in Palatio eidem dicatam, cum *Porticu*, & *Bibliotheca*: unde *Palatini* nomen ei adhæſit, rurſum canente *Propertio*:

Muſa, *Palatini* referamus *Apollinis* *Aedem*.

In Auguſt. cap. 29. De hac *Suetonius* ita retulit: „ Templum *Apollinis* in ea parte Palatii latinæ Domus excitavit, quam fulmine icçtam deſiderari a Deo „ Aruſpices pronuntiarent. Addita *Porticus*, cum *Bibliotheca* „ Latina, Græcaque: quo loco, jam ſenior, sæpe etiam Senatum „ ha-

„ habuit, decuriasque Judicum recognovit. „ *Dio* munificentiam Caesaris auget ab aureis Cortinis, & Statuis additis. *Virgilius* plus omnibus docuit, quando cecinit ore nuncupantis vota suæ Monarchæ: Libr. IV.

Tum *Phoebo*, & *Triviæ*, solido de marmore
Templum.

Aeneid.
VI. v. 69.

Instituam, *Festosque dies de nomine Phœbi.*

Discimus enim exinde, *Dianam* pariter unacum *Apolline* hic adoratam fuisse, & utrique Numini communes Ludos, *Apollinares* dictos, institutos esse. Quibus *Varro* addidit, noctu luxisse Templum illud pensili *lychnacho* propter *Dianam*, dictam *Nocticulum*: nempe, quod *Luna* esset, ut *Apollo* *Sol*. Ludos autem quod attinet, iidem longe ante *Augustum* sunt acti singulis trienniis: ab ipso autem in singula quinquennia cum Solemniis longe majoribus constituti.

L. IV.
de lingua
Lat.

Cl. *Harduinus* Tab. VIII. n. 9. exhibuit argenteum *Vitellii* XIII.
Numum, cum ejus capite laureato in adversa, solitisque titulis. Aversa exhibet *Apollinem* Palatinum stantem, togatum, capite radiante: qui dextra ramusculum, læva *Victoriolam* parvulam gestat, & ab ipso Palatinus dicitur, ac est. Epigraphe *Vitellium* spectat: AUGUSTUS GERMANICUS. *Argelatus* eundem aliquoties in *Commodi* Numis recenset, sed nudum stantem, qui plerum columnæ, aut arboris trunco imponit, adscripto etiam nomine: APOLL. ini PALATINO. Quapropter hunc Deum inter præcipua Domus Augustæ Numina computes.

